DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris vigesimâ-sextâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXIII.

M. FRANCISCO BERNARD, Doctore Medico, Gallico Idiomate Chirurgiæ Professore designato, Præside.

An magis amœna quam salubris in montium clivis habitatio?



UT pisces in aquis, sic immersus in aere vivit homo. Illi, quo puriore in undâ natant, quò liberiùs hæc unda renovatur, & sordibus, si quæ illam inquinaverint, quò faciliùs defœcatur; eò in illâ magis delectantur, vigent saniores, melioremque induunt habitum, compagem & naturam. Imò si lutulenta, cruda, heterogeneis aqua scateat materiis; si mineralium salinis, sulphureis, aut vegetabilium & animalium putrescentibus fœta sit corpusculis; neque detur affluxuum & effluxuum libertas, pura impuris substituens; vel citò enecantur, vel languentes in pravam admodùm naturam degenerant, macieque confecti lentæ sed præmaturæ morti occumbunt. Non aliter ab aeris conditionibus pendent hominum sanitas & vita. Frustrà vegetis & robustis nati parentibus, maximè laudabili corporis constitutione gaudent: frustrà sic aliis quinque rebus non naturalibus utuntur, ut indè illis & optima valetudo & in annos nestorios protracta longævitas promittantur: mille continuò iis imminent ab aere pericula, quorum aliis dùm vitandis aut superandis invigilant solliciti, in alia incauti ruunt sæpè funestiora. His omnibus præcavendis sufficere nulli unquàm arti, nulli prudentiæ datum est aut dabitur. Innumeris quippè modis aer in corpora vim suam exercet; innumeris proinde illa sive extrinsecùs lædere, sive intùs corrumpere potest. Lædit extrinsecùs propriarum qualitatum vitio vel excessu, si nimirùm sit æquò gravior aut levior, densior aut rarior, calidior aut frigidior, siccior aut humidior. Corrumpit verò intùs, dum varii generis exhalationibus inficitur, & cum heterogeneis miasmatibus corporis interiora subit, seu inspiratus, seu per poros cutis inhalantes absorptus, seu imprimis deglutitus. Quot & quam diræ indolis morbi ab illâ interiori ex aere venenato corruptelâ exitiosam ducant originem, neminem medicum latet. Sic videre est in quantas aliquando strages è cœnosis paludibus, aut è martiis campis militum sanguine nuper cruentatis, putrida effluvia per atmosphæram latè diffundantur, civium sanguinem huic mixti pessumdent; putridas, malignas, pestilentes, epidemicè accendant febres: vicos & urbes impleant terroribus, & funera ubique spargant. Similiter ex omnibus terræ plagis aerem inquinant lethiferæ exhalationes, & eò nobis infensior ille morborum fons, quòd inscii ut plurimùm & securi, quòd moti, quiescentes, epulantes, dormientes, ex eo mortis se-

mina hauriamus. Nullibi autem ab aere sic impuro magis metuendum est, quàm ubi, instar aquæ stagnantis, nullo ventorum turbine agitatur, aut illius undulationes & æstu reciprocos impediunt circum objecti obices. Nusquam imò salubrior aer, quàm ubi venti omnes ex oppositis liberè afflare possunt, suisque alternarionibus, quidquid in ejus massâ heterogeneum est, verrunt & dissipant. Hinc hominum tanti interest quonam in loco habitent. Hinc abs re non videatur examini hîc subjicere & inquirere an semper in eligendâ habitatione amœnitati sit fidendum; an v. g. in montium clivis habitatio, quàm amœna, tam salubris habenda sit.

II.

IN clivis omnes ruris deliciæ captant oculos & mentem exhilarant. Primis illos radiis aurora salutat, jamque solis recreantur aspectu, noctis adhuc umbris valles contristantibus. Illinc sibi gratulantes incolæ variis distinctum coloribus metiuntur horizontem, passimque nova mirantur. Nunc juvat, aut per patentem planitiem villas & pagos numerare, aut procul aerios montes, urbiumque turres, & naturæ opibus artis opes maritatas hinc & illinc prospicere. Nunc jucundè intentos detinent oculos, vel fugientis rivi fœcundantes per prata circuitus, vel tranquillus amnis placidos volvens per littora obliqua fluctus. Seu, per agros viridantes naturâ renascente, flora variatis gemmis arbores coronet; seu per arva latè flaventia messes auratas colono maturet Ceres, primis Pomonæ donis suas miscens divitias; seu per vineta Bacchum munera largientem canat alacris juventus; vere, æstate, autumno, non alio quovis loco tam grata, tam amœna latè circumspicientibus spectacula panduntur. Inde tam multis arrident clivi; inde tot urbani cives, dum soluti negotiis, strepitumque fugientes, placidam vitæ agrestis quærunt solitudinem, æstivas in clivis sibi comparant domos. Liceat illis quidem tam laudati sitûs illecebras jactitare; sed fucum ne faciat blanda rerum facies. Sub floribus sæpè latet malè perfidus anguis, pluraque reverà sordent, quæ nitere videntur. Laudentur profectò clivorum amænitates; sed in clivis diffidatur aeris salubritati. Nimirùm ille non purus, ubi sunt & multæ causæ cur noxiis halitibus inficiatur, & impedimenta ne infectus abstergatur.

III.

UT cæteris in omnibus locis, sic etiam in montium clivis quidquid è terræ visceribus eructatur, quidquid vaporat ipsa globi, seu aquea, seu terrea superficies, mineralium emanationes, animalium & vegetabilium excretiones, ex iis combustis aut putrefactis fuligines, salia acria volatilia, fœtida, putrida olea, in aerem sublimantur, immixtaque disperguntur; sic etiam aliquando visum fugientia insecta, vel earum corpuscula putrefacta, septica, per atmosphæram volitant, respirantibus infestissima; sed in aliis atmosphæræ tractibus sua perpetuò restituitur aeri mundities. Liberè illic ventis afflantibus continuò ipse renovatur, & quotquot in eo fluctuant miasmata & sordes, hinc & illinc disjecta fugantur. At in clivis tanto ventorum beneficio obstant ipsi suis culminibus montes. Sic v. g. in clivo meridiem spectante, nec boreâ, nec austro aer sufflaminari abstergique potest. Non boreâ quidem: franguntur in montis tergum illius impetus: non ipso etiam austro: nimirum ipse incurrens halitus clivo impendentes in clivum magis impingit, & congerit, nedùm disjiciat. A solis euro & favonio, cum sint clivo paralleli, sicque nullo obice præpediantur, illi halitus expurgari possunt. Quotquot venti medii sunt inter hos & illos, vel in montis tergum obliquè alliduntur, & tunc minimam fortèque nullam in aerem abstergendum vim exerunt, vel in ipsum clivum obliquè incurrunt, & tunc in aere contenta eò plus in clivum impellunt quo magis australes sunt. Manet ergò inquinatus aer, quandiù nec

ab oriente, nec ab occidente venti afflant. Patet indè quam sæpè longo temporis intervallo congestæ in eo sordes stagnare possint. Idem intelligendum, si ad septentrionem, orientem, occidentem, &c. clivus objiciatur.

Solâ igitur habitâ ratione exhalationum è clivis ipsis emissarum, ob minorem ventorum efficaciam, minùs illic aer purus esse solet; sed ibi præterea dantur peculiares majoris inquinationis causæ. Scilicet 1. ventis perpetuò athmosphæram, oceani instar, in æstus reciprocos agitantibus, è mediis aerii illius maris tractibus, quidquid ibi sordidum & alienum innatare potest, in montium clivos tanquam in littora rejicitur & appellit; sicque fit aliquandò ut aer ibi propter soli benignitatem paucos vel innocuos halitus continens, mephiti adventitiâ, sæpè è longinquis oris ope ventorum asportatâ, funestetur. 2°. Nusquam frequentiùs occurrunt stagna, paludes, aut cloacæ, quam in vallibus propè imam clivorum partem, ob scilicet delapsas hinc aquas, seu pluviales, seu fontanas, seu puteales, post varios incolarum usus effusas; quarum duntaxat partem clivorum superficie combibente & absumente, altera pars infrà defluit & volvitur, diversi generis sordes, terreas, salinas, oleosas, putrescentes secum abripiens. Jam verò notum est quam sæpè lethalia è cloacis, paludibus ipsisque stagnis exhalent & circum seminentur. In clivis ergò aerem non solùm proprii halitus, sed & alii tùm è remotis plagis, tùm è vicinis locis contaminare solent; & ne his mundari possit plerumque impediunt ipsi clivi ventorum libertati & alternationibus obstantes.

IV.

EX his sic intellectis minùs mirati sumus cur ferè non nisi in clivis morbos epidemicos observaremus, & cur v. g. in clivis, fortè omnium in terrâ amænissimis, Lutetiâ versùs septentrionem quatuor leucas distantibus, in ducatu scilicet Anguiensi, gallicè olim, nuncque etiam vulgò *la Vallée de Montmorency*, tam frequenter morbi epidemici grassentur. Nempè illic mons eminet, non mediocriter altus, ab oriente ad occidentem tres circiter leucas cum dimidiâ longus, unam verò à meridie ad septentrionem parte suâ superiore latus. Sylvis obtegitur totum culmen; sed in vasto clivorum circuitu, præsertim versùs meridiem, lætissima inter vineta, frequentes emicant & populosi pagi, passim elegantibus ædificiis & mirabilibus hortorum amphitheatris decorati. Ibi natura exultans omne amœnitatum genus oculis pandere amat, & horum incolis facilè quisque invideat; sed quantùm sæpe distant jucunda à salubribus! E viginti circiter illis pagis rarò fit, ut non unus aut plures epidemiâ affligantur; & quod ante multi alii observaverant, singulo ferè decennio singulos hosce vicos semel aut pluries aliquo epidemico morbo laborare, id etiam nobis propriâ constitit experientiâ, dùm ab anno 1760 ad annum 1772 in hunc aut illum ferè continuò artis opem ferremus, ob accensam ibi & latè debacchatam febrem putridam inflammatoriam, petechiis & malignitate plerumque stipatam, sæpè in plures simul vicos, & sæpè in eosdem iteratis vicibus sævientem. Febrem illam non in regione tantùm Anguiensi, sed in aliis etiam grassantem vidimus. Ubique verò clivis, aut fortè aliquando locis immediatè infrà clivos sitis, addicta videbatur; neque ullis locis planis, undique apertis, epidemicè communicata est.

V.

SIC Physicæ principiis & observatione innixi superest ut concludamus; at objicitur, 1°. in montium clivis aer est montanus, nullus vero magis, quàm montanus aer à Medicis commendatur. 2°. In locis etiam planis & apertis campis morbi epidemici observantur. 3°. His ultimis annis propter annonæ penuriam & pravitatem ab alimentis deducenda fuit epidemiarum causa, nec pendebat ab aere febris suprà memorata. Vanæ quidem ob-

jectiones ! Nimirùm 1°. aer montanus de montium culminibus , non de clivis , intelligi debet & folet : non ergò hîc à Medicis diffentimus. 2°. Non hîc contendimus morbos epidemicos in planis & apertis plagis nunquam obfervari. Illic quippe à variis efculentorum & potulentorum vitiis ortum ducere poffunt ; fed nobis fufficit, fi vel nunquam vel rariùs ab aere ibi nafcantur. 3°. Quod annonæ inopiam & depravationem fpectat, hinc morbos epidemicos aliquando oriri poffe , hincque febrem ipfam fuprà dictam vires acquirere vifam effe non hîc diffiteamur. Nempè dum lateret in aere morbi caufa generalis , omnibus infidians ; quos victûs ratio parca nimis aut depravata debilitabat , in eos efficaciùs caufa illa vim fuam exerebat , naturaque impotens refiftendo impar fiebat. Quibus autem menfa opima debitum in folidis robur, debitamque in humoribus energiam confervabat , in iis ut plurimùm vis vitæ victrix malum repellebat. Indè in pauperes ferè folos fæviebat illa febris. At reverà primariam hujus caufam non in alimentis, fed in aere latuiffe variis demonftratur argumentis. Scilicet 1°. ratione annonæ clivorum & planarum regionum par erat conditio, ratione febris graffantis difpar erat. 2°. Quamvis fæpiùs pauperes, aliquando tamen divites optimis etiam cibis utentes febris illa invadebat. 3°. In pluribus pagis epidemicè afflictis , cum diebus dominicis aut feftis ad publicam precationem incolæ in templa frequentes convenirent , non femel obfervavimus epidemiam , quæ mitefcere vifa fuerat , his ipfis diebus exacerbari : nec fine admiratione deindè ab ægris plerifque audiebamus fe die dominicâ , fe in templo , aut è templo vix egreffos , capitis dolore ingenti cum febre correptos fuiffe. Undenam autem illi his diebus epidemiæ paroxifmi ? nifi ex eo quod tunc illius caufa ingravefceret ; fed pejor non erat alimentorum indoles. Patet verò aerem , ut in totâ pagorum athmofphærâ , fic etiam in templis impurum , in his coercitum & ftagnantem , fœdis adhuc incolarum illuc coeuntium halitibus inquinatum , majorem inde fepticitatis gradum acquifiviffe , ficque corporibus vim efficaciorem & funeftiorem intuliffe. 4°. Animadvertimus etiam febrem illam epidemicam in illâ pagorum parte primùm folere accendi , quam magis ipfi clivi , denfæ arbores, aut alia obftacula ventorum efficaciâ magis orbabant. Sic menfe Januario anni 1767 , in vici *Montmagni* , parte orientali , dictâ *les Faucilles* , è clivo pendente multifque arboribus impeditâ , jam multas per domos fimul ægrotabant cum liberis & uxoribus miferi conjuges , tunc prorsùs incolumi reliquâ parte non in clivo fitâ , quæ nonnifi menfibus fequentibus , communicatione , in calamitatis partem venit. Sic etiam menfe martio 1769 , vici *Montfoult* , in excelfo clivo ad meridiem fiti , cum pars occidentalis magis depreffa , fylvâque adjacente & clivo ibi reflexo magis tecta effet , illic primùm orta eft & quafi inclufa manfit febris jam memorata ; deindeque menfibus Aprili & Maio, in cæteras omnes partes, nemini ferè parcens, graffata eft, &c. Rectè igitur, ut à ratione, fic ab ofervatione concludimus.

Ergò magis amæna quam falubris in montium clivis habitatio.

Proponebat Parifiis THOMAS LE TENNEUR , Conftantienfis , Doctor Medicus Cadomenfis, nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccalaureus , Thefeos Author , A.R. S.H. 1773. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Typographi. 1773.